



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Concilia Galliæ Narbonensis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1668**

Stephani Baluzii Tvrtelensis Præfatio Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14646**



STEPHANI BALUZII  
TUTELENSIS

PRAEFATIO AD LECTOREM.



IVINO planè consilio factum puto ut cum omnes ingenij mei foetus referre me oporteat ad immortalis memoriae gloriaeque virum, ac totius eruditionis parentem, Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem, qui me pro singulari bonitate sua purissimo disciplinae doctrinaeque suae lacte per multos annos aluit, magnúmque meis studijs attulit incrementum, tum hic praecipuè liber ei meritò debeat acceptus referri. Nam cum ille anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo nono ineunte Narbonem pervenisset, conventum Galliae Narbonensis illic habiturus, intellexissetque me teneri desiderio vi-

P R Æ F A T I O.

dendi si quid notatu dignum reperiri posset in archivo Archiepiscopi Narbonensis, effecit auctoritate sua ut vir illustrissimus Claudius Rebeus Archiepiscopus Narbonensis mihi cuncta armaria referari juberet, omniumque codicum ac membranarum copiam fieri, facta etiam potestate exscribendi quæcunque viderentur esse alicujus momenti. Postquam amplius duos menses in hoc labore consumpseram, animadverti schedas meas excrevisse in immensum, refertasque tum pluribus venerandæ antiquitatis illustribus monumentis, sed in primis quamplurimis Concilijs in Gallia Narbonensi celebratis, quorum memoria jam oblitterata erat, atque adeo foret haud dubiè sine me ut adhuc oblivione, velut pleraque alia, manerent obruta. Lætatus est autem vir optimus & excellentissimus, videns tot & tantos ex mea curiositate fructus provenisse; institueratque ipse omnia illa Concilia in unum volumen referre, & in publicum edere. Quo nihil illustrius aut utilius his studijs contingere poterat.

Fine ejusdem anni Ludovicus XIV. Rex Francorum Tolosam venit cum amplissimo totius aulæ comitatu, futurus inspector eorum quæ gererentur in Co-

*P R Æ F A T I O.*

mitijs Occitaniæ, quæ tum in ea urbe habebantur. Ea occasione Tolosam excitati sunt Episcopi & proceres ex universa provincia, & inter hos, illustrissimus vir Franciscus Bosquetus Episcopus Monspelienfis, vir in quo non solum plurimæ sunt literæ, sed interiores quædam & reconditæ, ac divini humanique juris magna cognitio. Tum temporis Marca tenebat cathedram Tolosatium. Vetus illi cum Bosqueto ac minimè vulgaris amicitia, vetus familiaritas, mutuis etiam officijs ac literis exulta. Habuit sanè Marca condimentum amicitiaè haudquaquam mediocre, suavitatem sermonum atque morum, & qua sola amicitiam doctorum virorum sibi conciliare facilè poterat, rarissimam modestiam & humanitatem penè incredibilem cum summa eruditione conjunctam. Ad hunc ergo pro veteri familiaritate ventitabat Bosquetus, ad illum quoque Marca ventitabat. Inter hæc, quia literarum amor vulgò solet conciliare benevolentiam, nemòque doctorum hominum est qui non lubenter gratiaè suæ participem faciat juvenem bonarum artium cupidum, ex consuetudine & usu frequenti tantorum virorum factum est ut Episcopus Monspelienfis, cum quo mihi jam erat aliquod literarum commer-

P R Æ F A T I O

cium, in suam me familiaritatem recipere. Ex eo deinde factum ut cum inaudivisset multa me notatu digna retulisse ex commoratione Narbonensi, desideraverit ut eorum sibi copiam facerem. haud difficile impetratum. Itaque & Concilia illa Galliae Narbonensis & reliqua veterum temporum monumenta, quae in schedis meis continebantur, describi curavit per amanuensem suum, ac postea schedas meas mihi bona fide restituit.

Haud ita multo post vir clarissimus Philippus Labbeus Presbyter à Societate Iesu, multitudine editionum ac librorum famosus, coepit cogitare de nova & amplissima omnium Conciliorum editione, omnesque per orbem eruditos invitavit ut symbolam suam ad tam praclarum opus conferrent. Heic vero meus Archiepiscopus, studiorum ac studiosorum omnium fautor & adjutor perpetuus, ac privatim Labbeo amicus, operam suam desiderari passus non est; sed schedas suas diligenter evolvi & excuti jussit, indicemque Conciliorum quae penes se essent nondum edita confici, ut in Synopsi Labbei, quae tum sub praelo erat, inseri posset. Factum est ut imperavit; ac non solum quae in schedis ejus jacebant illic reposui, sed etiam multa Concilia à me reperta, & inter haec,

P R Æ F A T I O.

etiam ista Gallia Narbonensis. Institue-  
rat autem, ut dixi, illustrissimus Archie-  
piscopus hæc Concilia antè edere quàm in  
Collectionem Labbei referrentur, eaque  
Notis illustrare. Sed varijs iisque gravissi-  
mis occupationibus interim distractus,  
morbis etiam aliquot fatigatus, denique  
acerbissima morte extinctus, destinato  
operi vacare non potuit. Ergo quando-  
quidem Deo ita visum est, ea mihi nunc  
cura & sollicitudo incumbit; ut cujus stu-  
dio & labore Concilia illa à tenebris re-  
vocata sunt, ejusdem operâ in publicam  
lucem prodeant.

Sed tamen admonendus es, amice Le-  
ctor, omnia illa Concilia quæ nunc edun-  
tur, sumpta non esse ex archivo Archie-  
piscopi Narbonensis. Nam canones Con-  
cilij Monspeliensis, quod anno MCCXIV.  
habitu fuit à Petro de Benevento, des-  
cripsimus ex veteri codice MS. monaste-  
rij sancti Albini Andegavensis, cùm illic  
ageremus anno MDCLXI. in comitatu illu-  
strissimi Archiepiscopi. Canones verò  
Concilij apud Biterras celebrati anno  
MCCCLI. invenimus in veteri codice MS.  
Ecclesie Helenensis anno MDCLX. cùm  
Marca ad Ruscinones pervenisset ex dele-  
gatione Regis ad figendos regnorum limi-  
tes in Pyrenæo. Statuta denique Concilij

*P R Æ F A T I O.*

Vaurenſis trium provinciarum deſcripſimus ex veteri codice illuſtriſſimi Archiepiſcopi, quæ nonnullis in locis contulimus cum authentico, quod extat in archivo Archiepiſcopi Narbonenſis. Epiſtolam demum Urbani V. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos qui convenerant ad Concilium Vaurenſe deſcripſimus ex alio veteri codice MS. Eccleſiæ Helenenſis eodem anno MDCLX.

Huic noſtræ collectioni placuit adungere Concilium quod anno MCCCXXXVII. habitum eſt apud Avenionem, ea maximè de cauſa, quòd viderem canones trium Conciliorum à Petro de Iudicia Narbonenſi Archiepiſcopo celebratorum ſumptos eſſe magna ex parte ex canonibus iſtius Concilij Avenionenſis, tum etiam ut data occasione vulgarem regulas vicinæ provinciæ, quæ hæctenus in lucem non prodierunt. Extare illud in veteri codice MS. celeberrimæ Bibliothecæ Colbertinæ admonuit me qui illam in eo pulcherrimo, quem nunc oculis uſurpamus, ordine conlocavit, vir clariffimus ac de me optimè meritus Petrus Carcavius in Magno Regis Chriſtianiffimi Conſilio nuper Conſiliarius, qui pro multiplici eruditione ſua ac rei antiquariæ librorumque cognitione meruit

P R Æ F A T I O.

ut ei Ludovicus XIV. curam Bibliothecæ suæ verè regie omnisque suppellectilis antiquariæ committeret.

Sequuntur deinde Notæ nostræ, non illæ quidem perpetuæ, ut dignitas operis postularet, sed festinatae, ac eo tantum consilio scriptæ, ne liber prodiret absque Notis. Verum si Deus consilia nostra fortunaverit, liceatque mihi sive per valetudinem, sive per occupationes meas, hæc ipsa Concilia quæ nunc eduntur, in majori opere rursus edemus cum Notis superioribus. His interim frui.

Addimus demum pro more nostro Appendicem Actorum veterum, valde illustrem ac locupletem, in qua edidimus quamplurima veterum temporum monumenta quæ non sine gravi rei literariæ detrimento hætenus latuerant. Horum autem magnam partem debemus Antonio Vioni Herovallio viro clarissimo: qui cum omnibus literarum studiosis benefacere amet, mihi privatim tantam sui in me amoris abundantiam ostendere studet, ut planè ingratus sim necesse sit, nisi beneficia ejus prædicem.

Ad extremum monendus es, Lector, sub prælo esse novam editionem operum Innocentij III. Romani Pontificis, quæ tibi dabimus & emendatiora & auctiora

P R Æ F A T I O.

quàm hætenus prodierunt. Nam præter ea quæ jam edita sunt, sive Romæ, sive Coloniae, sive etiam Tolosæ, tibi dâbimus quintum librum Regestorum ejusdem Pontificis, itémque decimum, undecimum, & duodecimum, quorum tres posteriores ad me misit vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montpelienfis, qui Notas etiam & Observaciones suas ad libros illos pollicetur. Unde jam facilè intelligis magnam rei literariæ accessionem factum iri ex illa nostra Innocentianorum operum editione, cùm & libros quatuor hætenus ineditos habiturus sis, & eruditissimi Præfulis clarissimum lumen illis debeat affulgere. Itaque cùm tua quoque intersit ut editio absolutissima, quantum fieri poterit, emittatur, si quid habes nondum vulgatum, quod Innocentij operibus addi debeat, confer in publicum, & ad Franciscum Muguetum mitte. Sic in te redundabit pars boni operis. Neminem enim sua gloria fraudabimus.

Vale, Lector, & Hildebertum Ceno-  
manensem Arnulphúmque Lexoviensem,  
quorum novas editiones polliciti sumus in  
Præfatione ad Agobardum, à nobis expe-  
cta, brevî, si Deus voluerit, illas habiturus.  
Curantur enim quàm diligentissimè.